

*do, decimo quarto Episcopo Hildesheimensi dedicatum est in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.*

*Anno 1172. Henricus Leo templum vetustum Danquarderodense in honorem SS. Petri & Pauli dedicatum, demoliri & novum templum, (quod Germanice in membrana illa vocatur DOHM) in honorem S. Jobannis Baptistæ & S. Blasii exstruere fecit.*

*Anno 1195. potens ille & bellicosus Princeps, Dux Henricus Leo, pridie S. Jacobi Apostoli mortuus, & in suo templo, (intellige S. Blasii, quod Germanice vocatur DER DOHM) sepultus est.*

Quum Dux Henricus Leo pacem cum Slavis fecisset, & superatis tot periculis, quieti redditus esset, consilium iniit de sacra peregrinatione ad sanctum Servatoris nostri sepulchrum suscipienda. Quid ei contigerit in profectioe ista, Arnoldus, Abbas Lubecensis refert in supplementis derelictorum Slavicae historiae Helmoldi cap. II. his verbis: *Confirmata ergo pace in terra Slavorum, magis ac magis invalescebat potentia Ducis super omnes inhabitantes terram, & sopita sunt bella civilia, mediante Majestate imperatoria, que erant inter ipsum & principes Orientales, &c. Dux igitur tanta potitus quiete, tantisque fluctuationum emensis periculis, tanquam portum salutis commodum duxit pro peccatis suis, Sanctum visere sepulchrum, ut adoraret dominum in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

Ingressus est Dux iter hoc anno 1171. Conrado episcopo,